



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &  
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

Quis sit Sacramenti Matrimonij minister. Pun. 4.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

Sacramenti, traditionem vero, & acceptationem corporum esse materiam proximam, remotam vero corpora: materiam inquam non ex qua contractus coalescat, sed circa quam contractus versetur, & qua ipse contractus perficiatur, ideoque Concil. Florentin. notanter dixit omnia sacramenta *perfici* rebus tanquam materia, & verbis ut forma: tacite indicans non esse necessarium quod intrinsecè rebus, vel verbis consistat, aliàs dixisset *constare, non perferi*: Et exemplum est manifestum in Eucharistia, in qua à Conc. Florent. panis, & vinum sunt assignata pro materia, & verba consecrationis pro forma, cum tamen neque ex consecrationis verbis, neque ex pane, & vino intrinsecè coalescat Eucharistia, sed ex speciebus Sacramentalibus, & ex Christo Domino, sit matrimonij materia esse potest mutua traditio, & acceptio corporum, non ex quibus matrimonij contractus consistit, sed circa quas versetur, & quas ut obiectum respiciat, & efficiat. Moueor ad hunc modum dicendi, quia est aptior reliquis ad explicandam materiam, & formam Sacramenti matrimonij, & qualiter ipsam sicut reliqua Sacramenta rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma perficitur, siquidem verbis experimentibus consensus perficitur ut forma, traditione, & acceptatione corporum tanquam materia. Et præterea quia hac via conuenit matrimonium cum reliquis aliis contractibus, quorum forma est consensus expressus ipsorum contrahentium: materia est, quam prædictus consensus respicit, & circa quam versatur: V. g. donatio, emptio, venditio, commodatio, &c. Atque ita docent Paludan. in 4. d. 26. quæst. 4. art. 3. ad 2. Coarru. 2. part. de matrim. cap. 1. §. unico, num. 8. Gabr. Vasq. in 3. part. 1. 2. disp. 129. cap. 3. & disp. 3. de matr. cap. 1. Paul. Comitoli. 1. part. de contractib. cap. 4. num. 9. Basili. Ponce, lib. 1. cap. 7. m. 12. Galpar Hurtado disp. 3. de matr. diff. 21. Gutierr. lib. de matr. c. 41. n. 1. ver. *tertia sententia*, & alij apud ipsos præcipuè apud Sanch. disp. 3. num. 4.

3. Notanter dixi *tam in ratione contractus, quam Sacramenti*, quia eadem est materia, & forma matrimonij prout est contractus, & prout est Sacramentum. Quippè Christus Dominus Sacramentum matrimonij instituit non mutauit contractum, sed contractui matrimoniali immutato Sacramenti rationem annexuit, ut docent omnes.

PUNCTVM IV.

Quis sit Sacramenti Matrimonij Minister?

- 1 Melchior Cano affirmat esse Sacerdotem, quatenus est Sacramentum.
- 2 Certissimum est esse ipsos contrahentes.
- 3 Satis rationibus oppositis.
- 4 Cum matrimonium per procuratorem contrahitur, non ipse procurator, sed cum constituens est Minister.

1. Melchior Cano lib. 8. de locis, cap. 5. contendit matrimonij Ministri, quatenus est Sacramentum esse Sacerdotem, tamen quatenus est contractus sint ipsi contrahentes, adducit in sui fauorem plures Doctores, sed ut rectè expendit Vazq. disp. 3. de matr. cap. 3. ei non fauent. Probat primò, quia Eugen. IV. in decreto fidei, §. septimum definit omnia Sacramenta verbis tanquam forma perferi. At verba contrahentium necessaria non sunt, cum suppletis signis possint. Ergo affirmandum est verba Sacerdotis necessaria esse, illisque Sacramentum perferi, sicuti alia omnia Sacramenta perferuntur. Secundo probat, quia matrimonia clandestina ex defectu Sacerdotis præsentis Sacramentum non erant, non enim contrahentes intendebant facere quæ Ecclesia facit. Tertiò actio Sacramentalis est actio sacra, requirit ergo Ministri sacrum. Quartò contrahentes in peccato non credunt duplex peccatum mortale committere, aliud recipiendo Sacramentum, aliud ministrando, quod necessariò videretur dicendum, si ipsi essent Ministri.

2. Ceterum certissima sententia est Ministrum huius Sacramenti esse ipsos contrahentes, & nullatenus Sacerdotem, neque opinio Cani vllam probabilitatem habet: sic pluribus relatis docet Sanch. lib. 2. disp. 6. num. 2. Petr. de Ledesm. de matr. q. 42. art. 1. difficult. 4. Basili. Ponce, lib. 1. c. 8. m. 3. Gutierr. c. 41. num. 2. & passim omnes. Et sumitur en Florentino Concilio afferente in dicto decreto Eugenij causam efficiendam matrimonij regulariter esse mutuum consensum per verba de præsentibus expressum, sed mutui consensus expressus regulariter per verba non procedit à Sacerdote, sed ab ipsis contrahentibus, ergo ipsi contrahentes sunt causa efficiens matrimonij, atque adeo Sacramenti. quippe Concil. Florentinum de matrimonio ut Sacramentum est loquebatur, ut confideranti fieri potest manifestum. Præterea colligitur ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. de reformat. irritate matrimonia absque præsentia Parochi, & testium, supponebat ergo prædicta matrimonia vera esse non solum in vi contractus, sed in ratione Sacramenti. Ratio vero est aperta: ille est Minister Sacramenti qui materiam, & formam Sacramenti apponit, &

contrahentes tantum, apponunt formam, & materiam Sacramenti matrimonij, siquidem expriment mutuum consensum de mutua suorum corporum traditione, & acceptatione, in quibus dicitur esse materiam, & formam huius Sacramenti consistere. Et consimio; negari non potest contrahentes esse Ministros matrimonij quatenus est quidam civilis, & naturalis contractus, ergo quatenus est Sacramentum. Quippè Christus Dominus non aliam materiam, aut formam Sacramenti matrimonij instituit præter eam, quæ contractui necessaria erat.

3. Rationes verò pro sententia Cani adductæ nullius sunt momenti. Ad primum respondeo, verba in matrimonio regulariter adesse, tamen signis celebrari possit. Ad secundum vero, matrimonia clandestina Sacramenta non fuisse, fuerunt utiq; ut colligitur ex Conc. Triid. & communi sententia Doctorum. Ad tertium dicimus, actionem Sacramentalem sacram esse, quia est causa Sacramenti, & gratiæ sanctificantis, non quia procedit à Ministro consecrato, aliàs baptizatus collatus à Laico non esset Sacramentum, cum Laicus non sit ad id consecratus. Ad quartum, plures Doctores, quos sequitur Sorus in 4. d. 1. quæst. 5. art. 6. Thom. San. h. lib. 2. disput. 1. numero 4. Coninch. disp. 2. d. 2. dub. 3. numero 34. Gutierr. capite 1. numero 3. negant, contrahentes, quatenus sunt Ministri Sacramenti matrimonij peccare saltem mortaliter, eo quòd ad id minus non sint consecrati. Sed rectius Nauarr. cap. 1. §. Sacerdos, num. 10. de penit. disp. 6. in solut. ad 5. Petr. de Ledesm. de matr. q. 42. art. 3. ad ult. Gab. Vazq. 2. in 3. part. 1. 3. cap. 3. Basili. Ponce, lib. 1. cap. 8. n. 11. & alij existimant esse peccatum mortale, eo quòd sint Christi instrumentum ad gratiam conferendam: deest autem instrumentum cause principali esse conforme, ut diximus tract. de Sacramentis in gen. p. 5. num. 11.

4. Rursus cum Sacramentum matrimonij per procuratorem contrahitur, non procurator est Sacramenti Minister, sed Ministri instrumentum, quippe ipse non pro se contrahit, sed pro eo cuius habet mandatum, & cuius consensus exprimit, ob quam rationem non tenetur in gratia esse, ut bene Basili. Ponce, lib. 1. cap. 10. Vazq. disputat. 1. de matr. num. 8. Galpar Hurtado disp. 3. de matr. difficult. 22. numero 83.

PUNCTVM V.

De consensu ad matrimonium requisito.

- 1 Consensus contrahentium necessarius est.
- 2 De potentia Dei absoluta potest vinculum, & obligatio matrimonij coniugibus concedi absque eorum consensu.
- 3 Nefarii primi parentes consentierunt in matrimonio.
- 4 Trium in matrimonio requiruntur.
- 5 Consensus in mutuum corporum traditionem, obligationemque iustitia ad copulam coniugalem necessarius est.
- 6 Proponitur obiectio, & se soluit.
- 7 Contrahentem falsò existimantem subesse impedimentum dirimens, aliqui affirmant posse validè consistere.
- 8 Oppositum verius est.
- 9 Satis rationibus num. præced. allatis.

1. Consensum contrahentium necessarium esse ad matrimonium deciditur expressè cap. sufficit 27. q. 2. cap. cum apud, & cap. cum locum, de sponsalib. & cap. in eodem tit. & à Conc. Florent. in decreto fidei, §. septimum. Causa efficiens matrimonij est consensus utriusque contrahentium regulariter per verba de præsentibus expressus. Idem colligitur ex Trident. sess. 24. cap. 1. de reformat. & traditur omnes. Hoc autem consensus liber esse debet, libertate inquam sufficienti ad peccatum mortale, siquidem causa est translati dominium proprii corporis, & subeundi grauem obligationem.

2. An verò de potentia Dei absoluta possit matrimonium consistere absque prædicto contrahentium libero consensu Sacrum est, ut constat ex his quæ refert Petr. de Ledesm. de matr. quæst. 45. art. 1. dub. 1. Sanch. lib. 2. disp. 26. num. 5. Probabilius tamen est matrimonium sumptum pro vinculo, & obligatione ad cohabitationem mutuum posse à Deo coniugibus absque eorum consensu concedi. Quæ enim respondentia esse potest in eo, quòd Deus suppleat id quòd consensus præstare debebat, tradatque coniugibus mutuo dominium in propria corpora? Certè nulla est. Nam quòd Basili. Ponce, lib. 2. cap. 3. per totum. obicit non posse hoc dominium coniugibus concedi, quin ipsi acceptent, & consequenter absque eorum consensu, quia nihil esse potest proprium alienius eo inuito, leuis momenti est. Fateor namque nihil alicui acquiri absque illius voluntate regulariter, at ex Diuina potentia non implicat. Quinimo ex potestate civilis posse dominium alicui quæri contra eius voluntatem non videtur impro-